



## **Panis Evangelici Fragmenta Quadragesimalia Tripartita**

Ex sanctissimo Dei Verbo copiosè & sedulo collecta, Sanctorum Patrum, variorumque Auctorum sententiis & conceptibus mirificè aucta; Et Omnibus Quidem Anni Dominicis; præcipuè tamen singulis Quadragesimæ Dominicis & Feriis per binas ad minus, sæpius denas aut septenas Conciones fideli Populo ...

**Lingendes, Claude de**  
**Coloniae Agrippinae, 1689**

In Feriam Quartam, & Quintam Post Dominicam Tertiam Quadragesimæ.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56356](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56356)



FERIA QVARTA.

DOMINICÆ TERTIÆ  
IN QUADRAGESIMA.CONCIO PRIMA  
DE SCANDALO.Explicatur ejus natura & gravitas per analogiam ad  
contagionem.*Scis, quia Pharisei audito hoc verbo Scandalizati sunt. Matthæi 15.*

UIS unquam credidisset Pharisei impegerunt in lapidem illum : & Christum , qui eo fine in mundum venerat ut tolleret Scandala , & qui in fine mundi Angelos mitteret ut si quæ supersint scandala , illa tollant , secundum illud Matth. 13. *Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, ex eventu tamen contrario, omnium maximum attulisse scandalum. Nam uti dicitur Luca 2. Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël. Et Isaia 8. Erit in lapidem offensivæ, & in petram scādali, duabus domibus Israël: in laqueum, & in ruinam habitantibus Ierusalē. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.* Itaque passim

Pharisei impegerunt in lapidem illum : & mors illius vocatur apud Paulum, *Judeis scandalum* : non mirum igitur est si ejus doctrina facta sit hodie iisdem scandalum. Sed aliud est scandalum datum, aliud acceptum : Christus autem non suo vitio nec suâ culpâ fuit scandalum, sed suâ virtute, & efficaciâ : Nos autem hodie de scandalo propriè dicto agemus, ut hic sermo cohæreat cum priori, ubi egimus de correctione fraternâ. Porro hic discursus ad omnes spectat quia pauci sunt admodum, qui vel scandalum non dederint aut non acceperint, aut cum culpâ, aut sine culpâ suâ: Itaque omnes egent auxilio Dei, quod ope Virginis habere possumus. AVE MARIA.

SI homo viveret in solitudine à communi hominum usu & consuetudine se motus, & mul-



& multis virtutibus opus non habere, & multa peccata vitare non deberet, quæ idcirco vitanda sunt, quia vitam agit inter multos. Ita quid homini solitario opus esset operibus justitiæ, quæ semper est ad alterum: quid opera charitatis haberet necessaria, quid opera misericordiæ, & consequenter, quid ei opus fraternâ correctione: cuius oppositum vitium cum sit scandalum, nihil necesse esset, illud timere vel ne daret homo, vel ne acciperet, si solitarius esset. Sed quia in commune vivimus, idcirco & quædam necessaria sunt ut habeantur, quædam verò ut fugiantur. Immo quò illæ virtutes sunt communiore, & quò vitia contraria plures lædunt, eò quoque major eorum ratio habenda est. Hic itaque discursus necessitatis est, ut cum de correctione fraterna dixerimus, de ejus contrario, quod S. Thom. 2. 2. q. 43. art. 3. ait esse scandalum, in consequentibus tractemus. Nam sicut in correctione fraterna attenditur specialis nocenti remotio à proximo; ita in scandalo intenditur aut incurritur speciale proximi nocendum. Verum ut hæc tractatio minus habeat fastidii ex similitudine aliquâ petita à naturâ illustrabitur.

Non itaque 1. Id quod in morbis est contagio, id in peccatis & in moribus esse. Quod ad contagionem attinet, eius natura universè loquendo, parum nota fuit ad nostrum usque tempus, adeò ut maximi Antiquitatis viri de illâ locuti sint vel admodum obscure vel parvissimè. Hippocrates, qui potest appellari genius naturæ nunquam de eâ sermonem fecit. Gallenus magnæ eruditionis & eloquentiæ vir, ait tantum lib. de different. febr. minimè tutum esse conversari cum iis qui peste correpti sunt, paulòque inferius, metuendum esse, ne qui cum iis agunt, eâ consuetudine inficiantur. Idcirco urbe Româ discessit, tempore vehementis pestilentiæ quæ civitatem illam afflixit. Avicenna, maximus me-

dicorum quos habuere Arabes, & qui tam egregiè de peste scripsit ne unum quidem verbum de contagio habet. Contagii tamen vocabulum, & prima maximèque propria notio quæ de illo nobis venit in mentem, inducit nos ad representandam nobis lucem quæ ab uno corpore ad aliud migrat, quia contagio nunquam minus quam inter duas res existit, sive sint omnimò sejunctæ, sive duæ tantum partes sint, ad idem corpus pertinentes, tametsi prima species magis propria est quàm secunda, quæ appellari contagio nequit nisi similitudine. 2. At insuper oportet ut lues similis sit in utroque corpore, atque ut utriusque vitium par idemque sit: neque enim dicimus eos qui veneno pereunt, affectos fuisse contagio, sicut neque id quod in aère corrumpitur, nisi aër infectus pariter fuisset. 3. Accedere etiam debet, ut eâ corruptio, fiat in substantiâ rei: si enim solum in accidentibus fieret, corpusque unum ab altero incaluerit; nemo si velit propriè loqui, nominet illud speciem contagii. 4. Attramen, quia domus cuiuspiam conflagratio ex alterius viciniâ, continet universas conditiones suprâ notatas, ita ut tamen nequeat dici periisse contagio, sicut neque id quod secundum se totum perit, adeò ut nihil ex eo reliquum maneat, ad Fracastorii insignis Medici sententiam accedo; omnem scilicet contagionem incipere primò, ipsaque ingressu per minutas insensibileque partes, quæ venenum quò imbutæ sunt, in corpus reliquum insinuent: quod quidem nomen ipsum vulgare infectionis nobis significat: minimè enim appellamus infectum corpus quod corruptio redegit in nihilum, sed illud potius quod aliquibus tui partibus inquinatum, depravat quò integrum est, quòque residuum est corrumpit: quia partes simul



simul infecta, inchoatam jam totius corruptionem absolvunt, extinguntque totum corpus. Quibus ex omnibus, quæ dicta sunt, collectis concludi potest, contagione nihil esse aliud nisi corruptionem cum similitudine corporis mixti & compositi, quæ ab uno in aliud transit; incipiens à depravatione partium tenuiorum & insensibilium, & ab iis ad omne reliquum permeans. Quibus ita positus,

Aio id quod in morbis & infectionibus, appellamus contagionem, idem in vitiis moribusque nostris nominari scandalum. Nam peccatum in suâ origine sumptum, spectatumque in suo tantum subjecto, quamvis magnum ac enorme sit, minimè scandalum est, nisi alteri nocet atque ab uno ad aliud trahi illud duntaxat quod accersit ruinam alteri, perniciosumque sit suo exemplo. Quamobrem Scholæ magister S. Thomas 2. 2. qu. 45. & cum eo Theologi illud definiunt, actionem suapte naturam talem, quæ spectata hominum ignorantia aut fragilitate, nata est eos in peccatum inducere, hoc est, ut paucis dicam, quæ de se accersit aliorum culpam funesta imitatione, eò perniciosior magisque infamis, quòd plures corrumpit: Vnde sequitur plurimas actiones ea solum ratione maximè esse detestabiles, quòd aliis noceant; neque sufficere si in se non sit malæ, sit sunt aliis perniciosæ. Quod autem addidit S. Thom. spectata hominum ignorantia, aut infirmitate, duo docet. Primum, plurima esse nociva, non ex sua natura, sed ex hominum ignorantia, & infirmitate: unde videmus sæpius scandalum incidere in ignaros, & homines imperfectos; quæ de causâ David: *Pax multa diligentibus legem tuam. & non est illis scandalum*: sed quia pauci sunt, & sapientes, & fortes, hinc fit ut homines passim scandalum patiantur. 2. Docet his verbis non excusari homines à scanda-

lo, quod oriatur ex aliorum aut ignorantia, aut infirmitate; nam si illis suppositis, actionem facis, nata est eos in peccatum inducere; scandalum facis, & reuses ruinæ proximi, quam, ob charitatem, teneris evitare quantum potest; unde multa, quæ alioqui licent, non licent, propter aliorum periculum: Et mandavit illis unicuique, Deus de proximo suo. Eccli. 17. Id oliarum lege expressum in leprosis quibus sic imperatur in Levitico cap. 13. *Quicumque maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium Sacerdotis, habebit vestimenta disluta, caput nudum, os veste contactum: contaminatum ac sordidum se clamabit. Omni tempore quo leprosus est, & immundus, solus habitabit extra castra*: quorum plurima fidebant, ne alii inficerentur à leproso.

Nota 2. Morbos alios esse contagiosos, alios minimè: Ita quædam peccata scandalum pariunt; alia minimè. Quod de morbis dixi, patet experientia: Etenim multi sunt morbi, vel nullo modo, vel non admodum contagiosi, ut hydrops, apoplexia, paralysis, & multæ febres ait Aristoteles 4. problematum Sect. 7. num. 4. Vnde cum multis ægrotis passim innoxie versantur. Id autem accidit, quia aut exigua est putrefactio, aut si quæ est, in partibus admodum humidis & aqueis existit, quæ statim dissolvuntur. Sed quosdam morbos esse contagiosos, & in alios transire quotidiana docet experientia: nam qui ophthalmia laborant, qui pthisi, qui morbo icterico, qui variis febribus, morbos suos communicant. Sic S. Gregor. Nyss. (orat. 2. quòd benignè excipiendi sunt pauperes) in ea Christi verba, *quod unum ex minimis meis fecistis*, &c. contra omninò sentire, ac arbitrari nullum esse contagiosum morbum: quoniam (inquit) sicut ægroti non possunt sani evadere, eorum congressu qui rectè valent; ita sani nequeunt



dere, eorum congressu qui rectè valent; ita sani nequeunt evadere agroti frequentando eos qui malè habent: siquidem contraria eodem progrediuntur passu, secundùm Philosophi verba, eadem est natura contrariorum. Verùm eandem hanc rationem ad probationem nostræ veritatis detorquendo, quando quidem proprietates rerù contrariarum oppositæ sunt, oportet, si morbi sunt contagiosi, sanitatem quæ ipsis contraria est, non esse contagiosam. Nihil dico de ratione quam affert Aristoteles in Problematis Sect. 7. n. 1. Morbus motio est, sanitas quies, ergo ille movere potest, hæc non potest; nam quod est secundùm naturam, nullam mutationem inducit; sed quod illi contrarium est, cujusmodi est morbus. In hac igitur veritate persisto, morbos esse aliquos contagiosos, quamvis omnes non istiusmodi sint. Ita peccata omnia minimè scandalosa sunt, ut quæ sunt interiora: Immodè ne exteriora quidem quæ universis abdita sunt, sicut alter ille dicebat, si non castè, cautè: Sede tantùm, quæ alienum exitium accersunt, ac perniciofa sunt exemplo. Ita peccata magnorum Magna sunt: exemplo enim nocent quibus non magis latere licet, quàm Soli. Uti Solis Eclipses quæ toti terræ innotescunt, aliter ac defectiones stellarum, quæ vix animadvertunt. Ita culpæ Magistratum, Principum, Prælatorum, Superiorum, Ecclesiasticorum, Religiosorum, eorum qui aliquam adepti sunt existimationem virtutis vel sanctitatis: quoniam eorum munera & actiones magni ponderis sunt; unde fit ut quod veniâ dignum est in sæculari, intolerandum sit in Religioso, aut in Ecclesiastico, cujus exemplum instar legis est cæteris. Sic adulterium Davidis, punitum fuit à Deo leviùs, propter scandalum, quàm propter culpam, quæ ipsi condonata ob pœnitentiam, Deus remittere ei noluit pœnam scandali 2. Reg. cap. 12.

*Dominus quoque transtulit peccatum tuum non*  
Tomus. II.

*moreris. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.*

Nota 3. Ex omnibus contagij differentijs, tres esse præcipuas: sicut inter corpora, lue infecta, principiaque contagij, quædam non contaminant nisi contactu; alia præter hunc nocendi modum, habent etiam fomites qui exitiosa illa efficiant etsi absentia; postrema verò præterquàm quod possunt idem ac duo priora, id insuper potestatis habent ut è longinquo attingant, idque persequantur etiam quod remotum est, neque impediantur distantia locorum: In quo hunc actionis ordinem tenent, ut quod inficit longè distitum, inficere etiam fomite possit atque attractu; & quod in fomitem se insinuat, noceat si tetigerit; at nullum reperiat, quod ubi tactum fuerit non corrumpat: unde fit, ut genus hoc contagij, simplicis & ordinarij existat, Quamobrem ab eo exordior; facilius quippe est, notiusque, quod quidem experimur quotidie interfruges, racemos, poma, mala citea, aliaque hujusmodi; quod meâ sententiâ, venit hoc modo. Tabes infectioque semper prodit ab aliquo, quod primum omnium marcescit, & corrumpitur; quoniam verò quod cæteris contagionem infert, putrefactum & corruptum est, oportet id quo contagio depravatur, pariter computrescere, quando quidem, uti diximus, contagio nihil est nisi quædam per similitudinem infectio quæ ab uno corpore ad aliud pervadit. Est autem putrefactio mixti dissolutio, evaporante calido, & humido innato: ea autem evaporatio fit à calore externo, vel in aëre, vel in alio humido: utriusque igitur putrefactionis principiû, & consequenter contagij est calor externus. Sede ea quæ in primo corpore contingit ab aëre, aut ab alio corpore, non est contagio: Quæ verò à partibus insensibilibus primi corporis per putrefactionem vapo-



ratis contingit in secundo, est propriè dicta contagio, quoniam in utroque est similis infectio: Illas autem particulas id posse efficere in secundo, quod calor externus in primo, patet, immo multò magis propter analogiam: Quia igitur quæ particulae evaporarunt, aliæ sunt siccae, & calidæ; & illæ aptæ sunt exurere; aliæ sunt calidæ & humidæ; & illæ aptæ sunt putrefacere: humidum enim laxat, emollit, partesque separabiles reddit, calidum autem educit, atque separat: colligitur principium putrefactionis esse partes illas insensibiles quæ evaporant, calidas quidem & acres, sed humiditas commixtione, & deinceps proinde esse seminaria contagionum.

Sequitur 2. species, quæ se insinuat abditq; in fomitem, sicut videmus accidere quotidie, ut quod usui fuit Phtisicis, peste afflatis, alijsque contagiosè morbidis, uti lintea, vestes, lecti, resque istiusmodi, tangi non possint ab ijs qui sani sunt, absq; evidenti periculo morbi ejusdem contrahendi: quod quidem evenit eodè modò, quò differimus de primâ contagij specie: Nonnunquam, enim contingit ut minutæ ac tenues illæ particulae, quæ ab corpore infecto evaporant, nanciscantur corpus quod lædi non possit, quia non ejusdem est naturæ, ad quod nihilominus adhærescunt, ac se tuentur sicut ignis in fomite, ut datâ occasione ictum infligat, reperroque aliquo corpore quod lædi queat, tam vehementer noceant, ac si immediatè ab infecto corpore prodirent. In hęc finem natura duas illis qualitates largita est, magnam scilicet subtilitatem; arctamq; in suis partibus connexionem, pertinacè compositionem, & firmum quasi textum: Prior conditio illas excutit, ut se in minimas quasq; rimas ingerant, abdantq; in exigua foramina, ubi se ab aère alijsq; corporibus tutentur; compositionis verò ipsorù & temperaturæ bonitas, eas conservat diu sine ulla decessione: Duplex autem est compositionis mixtionisq; va-

lidissimum genus: Unū est in duritie, qualis est metallorum: Alterū est tractabilis quædã materia, sed accuratè subacta, diuq; elaborata, quæ fit ex minutis partibus simul permixtis, multiplici versatis modo, implicatisq; assiduo motu, donec partes industriè simul colligatae sint, mixtione confusâ, & pertinaci complexu: quod faciliùs evenit, cum vapor coarctus est, coactaq; partes, se mille collidunt modis, & variè consociant; quibus si fœtidus mador advenit, tam firmus arctusq; fit contextus, ut se tutari possint infinitis in corporibus extraneis, quæ fomitem illis suppedient, Unde accidit ut ex universis rebus nihil adhærescat ad fomitem, nisi quòd lenioris est capax, viscosumq; & glutinosū, contrà verò res duræ siccaeq; aut admodum aquosæ, aut præter modum dilutæ, aut ex demùm quæ facile alterantur, si ijs accidit ut putrefiant, contagiosæ attackuevadunt; sed fomitem nunquam relinquunt, live quia adnecti nequeunt, seu quia cito pereunt, neque se possunt tueri, quemadmodum videmus in frugib⁹, quæ contagiosæ nō sūt alijs nisi ab ijs tangantur, propterea quòd humoris sint aquosi, nihilq; glutinosū habentis. Quòd autem madorè fœtidū concipit, secum infert glutinum suum, & id quodcunque nanciscitur, adhærescit, diuq; persistit ob compositionis suæ bonitatem; Unde fit, ut si attingit corpus ejusdem temperaturæ cum quo proportionè habeat, hoc statim insiciat, si autem discrepans est, ac minimè læsionem admittens, intromittat semina contagij, illoq; tanquam fomite utatur. Vbi animadvertendū est, corpora quælibet minimè apta esse ad fomitem contagio ministrandum; i. enim, perforata esse debent, aperta & spongiosa, ut admittant & contegant vaporem qui contagium parit. 2. Præter modum calida frigida-ve esse non debent, ac proinde nihil metuendū est à marmoribus, à portitis lapidibus, & à metallis; à ferro, auro, argento, alijsq; tum quia sunt densa, neque ulla rimas



rimas habent, tùm ob ipsorum frigiditatem satis aptam ad semina contagii extinguenda. Unde Mercurialis doctrinâ præcellens Medicus, nonnullos irridet qui timebants peste affectorum pecuniam attrectare. Nolim omittere quod ait, Illa eadem oportere aliquo numero esse, sine quo validissima venena nocere non possunt; Id ipsum significavit Galenus libr. 3. de simplic. medicam ajens, centesimam partem drachmæ cantharidarum nihil efficere posse; Ex quo infertur solos tantùm ignaros contagium metuere, vel ex solo tactu filii à pestifero afflati. Sed, ut aliquo loco Plinius dixit, insatiabilis vivendi cupiditas hominibus monstrosas ridiculasque cogitationes tradidit. Reliquum igitur est, ut secundùm Levitici c. 13. pro suspectis habeamus lintea, pannos, pelles, quodlibet vestium genus, mensas aliaque lignea, ipsos ad eò parietes, quos Deus jubet ibidem abradi, novoque tectorio induci, quod usu venit, si vetustate jam detriti sunt. Hoc in genere duo mirabilia reperio.

Primum est, quòd vapores illi tam parvâ exilique copiâ, perdurant tandiu ut complures anni nihil securitatis nobis afferant: ita videmus odorem diu servari in rebus suffitis, nigredinem permanere in parietibus, nonnulla venena custodiri in corporibus, quamvis sine intermissione ab naturali calore impugnentur. Hippocrates in libro de affectionibus internis, asserit nonnunquam nobis oriri nescio quem morbum in venâ sinistrâ, qui per annos, ampliùs duodecim fovetur, resolviturque in hydropisim: Theophr. libr. 4. de Histor. Plant. cap. 6. affirmat, Venena quædam hausta, præparari disponique nostris in corporibus, arcanis actionibus, plusquam tribus quatuorve mensibus, antequàm noceant. Sed quod ajunt de canum rabiosorum morsu admirationem omnem superat. Galenus enim nobis asserit cum Avicennâ,

venenum per plagam inductum, sex mensibus, annoque interdum integro conquiescere. Albertus Magnus ad annos usque duodecim progreditur. Sed Alpharabius insignis Medicus ac Philosophus adjicit usque ad annum quadragesimum, quod oculis suis vidisse testatur.

Mirabile alterum est quod accidere potest, ut aliquis secum luem deferat, aut in vestibus, aut in corporis partibus inanimatis, ut in capillis, aliove aliquo fomite, ita ut non inficiatur ipse, alios tamen qui propiùs accesserint contagione lædat. Hoc ipsum dicit Evagrius libr. 4. Hist. Eccles. c. 28. accidisse in vehementi illa infamique pestilentia quam describit: scilicet sanctissimos deserentes patriam peste infectam, abstulisse secum contagii semina, quo externas regiones oppleverunt, quamvis eodem isti minimè affecti essent.

Nihil superest ampliùs nisi ut de tertio contagionis genere loquamur, quæ se è longinquo transfundit, nec ullum securitatis locum remotis corporibus relinquit. Ita videmus lippos, aspectu suo nobis nocere, Phtisicos, & pestilentia correptos inficere eos quibuscum versantur, eò usque ut malum amplificetur in Urbibus Provinciisque integris. Qui non satis habent recurrere ad causas incognitas atque abstrusas, ii principium hujus contagionis idem ac duarum superiorum agnoscunt. Itaque bono sensu admitto definitionem Mercurialis cap. 12. de Peste: sic enim ait. Est itaque contagium, communicatio morbi facta è corpore in corpus, Vbi nomine morbi intelligendum est, quod contrarium est naturæ, aut ipse scilicet morbus, qui vocatur affectio malaque dispositio, aut morbi symptoma & causa. Quod ille habet pro vero, quandoquidem symptoma pravam affectionem sequitur, sicut umbra corpus, nec mala dispositio communicare se aëri potest, indidemque corporibus nostris



quæ sola ipsius capacia sunt. Causa potest esse duplex, aut illigata corpori, aut à corpore disjuncta, simplexque qualitas, quæ sola non sufficit ad affligenda, multò minus ad destruenda corpora nostra: Reliquum ergo est, ut substantia sit. At ejusmodi esse debet, ut transferri facile queat & loco mutari, quod convenire non potest substantiis solidis crassisque, quòd quidem difficulter possunt moveri: Restat igitur ut sit vapor valdè accensus cum urat, subtilis admodum, cum penetret, viscosus cum adhærescat, maximè venenatus, totâque substantiâ suâ, naturæ nostræ contrarius cum interimat, idque sine ullâ cunctatione. Veritatem illam stabilio hæc communi experientiâ; ab corporibus quamplurimis leves aliquas exhalationes produci: Et quemadmodum, ut ajebat Empedocles, quicquid existit, fluxiones suas habet (sic oculus & cœpe nobis eliciunt lacrymas, etiam eminùs; piper & Iris nobis sternutamentum excitant; crocus somnum inducit, multique in Apoplexiam decidunt ob metallicos vapores exceptos) Ita è corporibus infectis, putrefactisque prodeunt nocuæ exhalationes quæ in contagii semina mutantur. Alæ quibus vehuntur per aëra sunt duplex principium motus ipsarum; sublime enim appetunt cum vapores sint, ut plurimum calidi, sed ut res humida se in minutas particulas dividunt ad se invicem simul jungendas, ut singulæ sese conservent, recedendo quam minimè possunt ab iis quæ naturæ ejusdem ac suæ sunt: Accidit ut aër similiter se in minutas partes dividat, seque ita cum iis exhalationibus immisceat, ut ambo ubique simul existant, quemadmodum fumo contingere videmus, qui se ita cum aëre confundit, ut utrumque simul hauriamus: Caterùm tenues illi vapores se se utantur in aëre, cum ob durabilem ipsorum compositionem, firmamque ministram, tum propterea quod a-

res sunt & validi: Aliunde autem quando recepti sunt in corpore animalis, statim ac ob calorem accensi sunt, se corroborant, vim suâ excitando; spiritus laceffunt, quos partim amovent naturali quâdam repugnantia; suffocant nonnullos; alios occupant qui ad cor diffugiunt, importantes venenum; corrumpunt humores, nobilissimasque partes invadunt, confuso vel extincto naturali calore; totumque animal calori extraneo, corruptionis principio, dantes in prædam. Introeunt sapius per cutis meatas porosque, aut per minores venas, tum per arterias, demùm ad cor perveniunt; modò penetrant ingrediunturque pederentim, lentè propagando se usque ad corruptionem integræ massæ humorum; modò attrahuntur respiratione, atque unâ cum flatu; aut dilatione venarum; aut quia vapor omnis angustus initio, secundum figuram principii unde prodit, continenter se se prolatat, atque amplificat, & ita quoniam venæ cuti proximæ multo angustiores sunt iis quæ ad interitus ducunt, vapor ille admissus sensim influit, reperitque spatio, plus licentiæ assumit, seque diffundit per omnia, re nullâ interius relicta quæ non inficiatur.

Quod de morbis diximus, de vitiis quoque dicere possumus; ac triplicem vitiiorum contagionem ratione Scandali distinguere.

I. Enim vitiiorum contagio fit per contubernium, consuetudinem, & societatem, quæ instar cujusdam tactus est. Hoc enim habet malitia, ait Democritus apud Stobæum serm. 1, ut res sit, quæ facile capitur. Et ex Nazian. orat. 1. ad imitandum prona, atque expedita improbitas est, nec quicquam tam facile, quam malum fieri: quare comparat stipulam quæ facile ignem concipit ex scintilla. Ambrosius libr. de fuga sæculi cap. ultimo. Citò malis ducibus erratur. Porro id potissimum fit consortio & consuetudine, unde dictum à Christo, *Et inimici hominis domestici*



*Amici ejus.* Eodem refero amicitias ob frequen-  
tem societate, unde monitum Sapientis Pro-  
verb. 22. *Noli esse amicus hominis iracundo, ne-  
que ambules cum homine furioso: ne forte discas  
semitas ejus, & sumas scandalum anima tua:*  
quo in loco jubet Salomon, ne in amicum su-  
matur homo iracundus.

Ratio est imitatio; Cum enim inter ami-  
cos multum peccetur, homo iracundus in irā  
excandescet, & eum cui irascitur, ad similem  
iram provocabit, quia nihil magis iram mo-  
vet, quā hostis ira. Quā de re S. Basil. homil.  
de irā. Noli adversario pro magistro uti, nec fi-  
eri veluti speculum irati velis illius formam  
in teipso ostendens. Hæc ille. Sic enim, com-  
paratum est, ut qui in se videt alium iratum,  
omnes ejus motus, & verba in se concipiat:  
& hoc est illud scandalum quod vitandum  
monet Sapiens; præter ruinam quæ oritur ex  
alterius adversum nos irā: *Ne forte discas semi-  
tas ejus, & sumas scandalum anima tua.* Hinc  
originem habet, omnium Sapientum docu-  
mentum illud, ut nemo se in malā induat con-  
suetudinem, vel amicitiam, nisi perire velit.  
Rationem affert Nyssen. homilia 8. in Ecclesi-  
ast. exponens illa verba; *Tempus belli, & tem-  
pus pacis:* Quia qui nobiscum conversantur  
sunt inimicissimi, & hostes, quippe qui tres  
adversum nos turmas ducunt quib⁹ constan-  
tissimos expugnent, 1. Voluptatis laudato-  
rum: 2. ad inania, & obscæna spectacula  
trahentium: 3. Eorum denique qui mali indi-  
cant facilitatem; & iis turmis quemlibet im-  
pugnant: Et hinc passim videmus magnam  
labem fieri morib⁹. hinc perditas athenas scrip-  
sit Naz. or. 2. quas, & pestiferas appellat aitque  
miraculo quodam se, & Basilium ibi servatos,  
ut Alphæum in mari; ut inter ignes memora-  
ta quædam animalia. Et certè non est tutius  
eū peste affectis quos tangere, quā sit peri-  
culosum, quotidie videmus. Quis itaque spe-  
ret, ut Paulini verbis Epist. 2. ad Severum, utar,

quis speret, inter ignes non uri, inter laqueos  
non capi, picem tangere, nec inquinari? Un-  
de non mirum si quotidie, iuuenum, & puel-  
larum audiantur casus, quia passim cum om-  
nibus sine delectu habent consuetudinem.  
Nec ferre possum quorundā iactationē qui  
aiunt se eiusmodi consuetudine non tangi:  
quibus respondeo quod scripsit S. Hieron.  
epist. 47. Quid tibi necesse est in eā verlarī  
domo, in quā, necesse habeas quotidie aut  
vincere? Quis unquam mortalium iuxta vi-  
perā securos somnos capit; quæ etsi non per-  
curiat, certè sollicitat. Hoc verò præcipuè lo-  
cum habet in adolescentioribus, in quibus ex  
Ambrosio, ætas magis ad vitiū lubrica; & ex  
Augustino, flos ætatis periculum mentis. Sanè  
de iuuenū moribus disputans Aristot. 2. Rhe.  
c. 12. amicorum studiosi sunt (inquit) atq; so-  
daliū multò magis quā cæteræ ætates: Itaq;  
ubi habemus in Psal. *Beatus vir qui non abiit in  
concilio impiorum:* Theodotio vertit *reus reos.*  
Beat⁹ adolescens: Hinc enim fermè existunt,  
quæ frequentissimè videmus Adolescentum  
naufragia, quippe qui dum irretiuntur amici-  
tiis, vitiis, constringuntur. Propterea malos  
socios, appellat Ioël ex interpretatione Theo-  
doreti *torrentem furnum.* Eheu quā multi ir-  
retiuntur illis vocibus, quas refert August.  
lib. 2. Confess. cap. 9. Eamus & faciamus.  
Tunc scilicet, pudet non esse impudentem.  
Unum etiā præterire nolo, quoniam pri-  
mam speciem contagionis periculosissimam  
dixi esse per contactum, & universalissimam,  
hoc quoque in moribus esse observandum,  
ut supra cæteros sensus vitetur tactus, quem  
Aristoteles servilem, & belluinum sensum  
appellavit; S. Greg. Nyss. servilem, & cæcum,  
quem forte (inquit) propter cæcos natura  
fecit quò ait S. Climacus Gradu 15. Nihil  
gravius, nihil periculosius, ita ut (inquit) so-  
lo tactu sæpe corpus inquinetur: quod con-  
firmat, Basil. lib. de virginitate cū docet



solo tactu florē pudoris amitti: ut enim (ait) enim homil. 3. in Ecclesiastem damnans si quis ignem tangit, subito bullæ, & ulcera hominum potentium luxum in Tabellis, ait nascuntur; sic bullæ in corde, & inflammationes è contactu generantur. Et in eam sententiam Theodorus Studita, solo tactu seculi contrahi dixit: Et S. Hieron. in vitâ S. Hilariionis, ait, tactum & jocos, esse morituræ virginitatis principia: Unde forte apud Hebræos, idem est tangere, quod pollui, & maculis aspergi: nam vox Neggah quæ lepram sonat, & legis immunditiam, & factum significat, ut ex voce rem ipsam intelligas.

II. Speciem contagionis diximus eam esse quæ per fomitem nocet, in quo manserint mali semina: Ita in viriis & moribus ea omnia nocent, quæ mali semina conservant, etsi mortua & insensibilia. An non semina contagionis vitiorum & errorum hærent in libris hæreticis; & pravæ doctrinæ in codicibus obscænis, & amatoriiis, in quibus tot annorum pestes conservantur? Cur enim amatorios libros, & obscænos damnavit Tridentinum, nisi quia præsentem mortem in aureo poculo propinant? Vide quot populorum millia unus libellus enecavit: una fax immissa in templum Hierosolymitanum, tantum opus combussit, ac licet Titus voce & clamore juberet extingui non obtinuit à milite: Ita, &c.

2. In picturis & Tabellis turpibus & obscænis, quas rectè Tatianus appellat Vitiourum monumenta: Nempe jam pridem extincta, sæpe etiam multis deleta lacrymis, demùm picturâ reviviscunt: Vide autem quid efficiant: certè quod ait S. Cypria. Epist. ad Donatum. Adulterium discitur, dùm videtur: unde Clemens Alexandr. in protrept. eas vocat, mollis & effæminatæ vitæ archetypa. Sicut itaque pestis in fomite se communicat, ita obscænitatis facti è tabellâ: Nyssen

Ratio est, quia ejusmodi picturæ titillationem provocant. Propterea cum apud Isaiam, cap. 20, Deus minatur *terribilem diem Domini super omnem superbum & super omne quod visu pulchrum est*: Oleaster vertit ex Hebræo, & super omnes picturas desiderii, quia picturæ desideria inflammant: Iam quid de illis dicam ipsis artificibus, nisi quod Sidonius Apollinaris lib. 2. Epist. 2. Sicut ornant artem, sic eas devenustare artificem: ad hæc ostendere pictorem infamem. Nam uti Apelles dum Aspasiam pinxit, ejus pulchritudine captus est, & ut ille in fabulis, imaginem, quâ pinxerat, adoravit; ita fieri non potest, ut pictor non fuerit primustali repræsentatione inquinatus. Ad eos sermone convertendus, qui ejusmodi habent imagines, ut vel mutant eas, vel damnent igni. Quàm melius haberentur picturæ sacræ, quas veriùs vocarem incitamenta animi, quàm Seneca sic appellavit Philosophorum vultus.

3. In monumentis, in donis, & muneribus, quæ passim ab amantibus dantur in fomenta libidinum. Audi quid dicat Sapiens Eccli 42. *De vestimentis procedit tinea, & muliere iniquitas viri*: Quidquid habes ab amicâ, si vitta solum sit, vel hirotheca, si vel solum tetigeris, non tineam videbis prodeuntem, sed iniquitatem. Monet Hieron. ne quis à Virgine, aut à muliere gustatos cibos attingat: narrant (ait idem Doctor lib. 1. in Iovinianum) fabulæ, Mithram, ac Eriethonium, vel in lapide, vel in terrâ de solo æstu libidinis esse generatos: Unde & noster Ioseph, quia tangere illum volebat Ægyptia, fugit è manib⁹ ejus, & quasi ad mor-



morsum rabidissimæ canis, ne paulatim virus serperes, pallium quod tetigerat, abiecit: Hæc ille. Quid ab eâ accepisset, qui noluit etiam suo pallio uti, quod ipsa tetigisset? Hinc videmus sæpe ejusmodi munusculis ignem foveri. Quid igitur virginum crines, & alia defers munuscula? quid tu data à juvenibus munera servas? de quibus omnibus dixit Iacobus cap. 5. *In luxuriis enutrire corda.*

3. Species contagionis lædit per aërem, ita ut nemo sit securus: hoc si in morbis verum est, multò magis in vitijs, per quæ videmus passim homines feriri rebus minimis & exiguis. Ille perit alterius sermone, hic eloquentiâ, ille cantu, hic solâ facti narratione; ille visu, & solâ imagine. Vidit David mulierem ex adverso se lavantem: ut vidit, ut periit. Viderunt senes pulchritudinem Sufanæ, & exarserunt in concupiscentiam eius: Vidit Samson mulierem alienigenam, & adamavit eam: & hinc periit. Quam multi solâ memoriâ. Nam ut ait Nazian *ὁ τύπος μέγος ἐστὶ τῆς πορνείας.* sola imago impressa in animo, pars magna luxuriæ, & adulterij. Quam sæpè vestigium externum impressum in pulvere ad casum impulit. Dictum est de Holopherne ad aspectum Iudith cap. 16. *Sandalia ejus rapuerunt oculi eius, pulchritudo ejus captivam fecit animam eius.* Sæpe tantum vestitus, sæpe aspectus, sæpe risus, sæpe nutus in crimen induxit. Vide quomodo passim amores conciliantur. Quam sapienter Ursinus Presbyter animam propè agens, uxorem à quâ quadraginta annos abstinerat, explorantem propiùs an efflasset animam, à se repulit hoc dicto: Recede mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle. Itaque præclare S. Chrysost. in Psal. 50. quosdam exagitat: qui quotidie in cœtu mulierum versantes, aiebant, spectamus quidem, sed nihil inde lædimur: Quid audio? David læsus est, & tu non læderis? Ille victus, prostra-

tusque iacuit, & tuæ ego virtuti, & constantiæ fidere queam? Is qui tantam spiritus gratiam habebat, spiculum accepit, & tu in infamium rerum spectaculis lauciari te negas? & paulò post: Omni ex parte feritur mens tua: per aspectum, ob ea quæ vides: per aurem, per olfactum: & cum tot præcipitia sint, tot corruptelæ, qui credere queam te à ferarum morsibus immunem esse? Num tu saxum es? num ferrum? Homo es, communi naturæ imbecillitati obnoxius. Ignem capis, nec uris. Qui fieri id potest? Lucernam in fœnum pone, actum aude negare, quod fœnum exuratur: quod porro fœnum est, hoc vero natura nostra est. Hæc ille.

Nota 4. Inter morbos pestem maximè omnium contagiosam esse: Inde fit ut apud vulgus illi nomen contagionis tribuatur, cæteros omnes morbos qui contrahuntur ex alio, tantum contagiosos appellando. Id edisco ab Aristotele lib. 1. Problem. Sect. 7. qui ait, pestem maximè contagiosam esse inter morbos qui communicantur. Idem asserit S. Basil. in Psal. 1. dicens naturam pestis esse dispertire se plurimis, ut uno contaminato, vis morbi mox ad alium perveniat. 2. morbi reliqui ut plurimum unam solùm partem inficiunt, pestis autem totum animal inquinat, spiritus, humores, ipsam partium substantiam, vitæque sedem, quæ quidem cor est. 3. pestis omne personarum genus plerumque invadit, nullo sexui conditionique parcendo, cum morbi ceteri contagiosi rarò admodum sint communes: 4. nulla est contagij species quæ pestem non efficiat infamem: 1. per tactum non solùm si ulcera tangantur, sed vel tantum si sola persona tangatur: 2. per fomitem, unde bene morata civitates cuncta peste affectis famulantia in vestibus, & supellectile, flammis damnant: nullus autem fomes tandiu durat in externo, & alieno subjecto, quam fomes pestis; sicut in vivente nul-



nullus citius enecat. Illustre exemplum est apud Mercurial. cap. 7. lib. de Peste: ubi ait, olim in Babyloniâ, in Apollinis Templo, auream miræ vetustatis arcam apertam fuisse, ex quâ perniciosissimus halitus expiravit, unde gravissima pestis exorta, quæ usque ad Parthosimmanissimè grassata est. 5. inter omnia contagia celerrimè pestis inficit & periculosissimè: unde conficitur pestem esse omnium morborum maxime contagiosam.

Eodem modo ex omnibus animi morbis nullum peccatum magis contagiosum, quam luxuria. 1. Quia propriè contagio fit per infectionem, quod hujus peccati maximè est proprium. 2. quia supra omnia peccata totum hominem inficit; non tantùm quoad animam, sed etiam quoad corpus, juxta illud Apost. 1. Cor. 6. *Fugite fornicationem: omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat,* nam reliqua peccata solam animam ferè inquinant, sed peccatum carnis, & animam & carnem inficit. Deinde ex Chrylost. per alia crimina pars una corporis polluitur, manû per cædem, & furtum; sed in fornicatione totum corpus fit sceleratum, & execrandum: tanquàm enim incidens in lebetè imunditiæ, sordib. & inquinamèto inctû, sic cõtaminatur. 3. Quia omnes homines attingit, & vagatur per omnes, ita ut pauci eximantur, sitque peccatum communissimum, unde tertia hominum pars ob illud perit, uti docet Toletus. 4. Quia modis omnibus inficit de quibus diximus, tactu, fomite, & per aërem. 5. Quia omnium celerrimè inficit hominem, & maculat, uno aspectu, unâ cogitatione, & delectatione. Ierem. 9. *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.* Nyssenus hoc interpretatur de sensib<sup>9</sup> externis per quos intrat in cor turpes cogitationes & titillationes voluptatum: Inde enim concupiscimus, & ut ait Iacobus, *Concupiscentia cœm*

*conceperit, parit peccatum, peccatum verò cœm consummatum fuerit, generat mortem.*

Nota 5. Nihil esse in peste formidabilius contagione. Ea est quæ depopulatur familias, exinanit urbes, vastat Provincias, regna vertit: Ea est quæ olim Athenis aded pestilentiam accendit, sicut memorat Thucydides lib. 2. suæ. hist. ut nemo respectus sit quem vel mors è vivis non sustulerit, vel qui non fuerit morbo correptus, vel propinquorum exitium non doluerit. Duæ spectatissimæ pestilentiaæ urbem Romam affligerunt, una quo tempore Magnus Camillus interit, numero mortuorum quotidie ad decem millia progresso, secundum Eusebium in Chronico: altera sub Vespasiano & Commodo Imperatoribus, quæ die quolibet, duo ægrotorum millia perimebat, testibus Dione & Xiphilino. Visi sunt in urbe Constantinopoli singulis diebus mori decies mille, inquit Procopius lib. 2. de bello Persico: Eademque in urbe sub Imperio Isauri mortuorum numerus ad trecenta millia pervenit, uti scribit Volaterranus Platina literis mandavit, sub Benedicto VIII. Pontifice, longè plures pestilentia sublatos quam superstites fuisse. Si fidem adhibemus Iacobo, cui cognomen de partibus, anno 1345. extitit pestis, quæ annorum quinque spatio dimidiam hominum partem sepulchro intulit: annoque post ducentesimo quæ secuta est tertiam mortalium partem absumpsit. Verùm innumera illa strages, cædesq; tã obstupescendæ attribui nequeunt, nisi modo quo se comunicat extenditq; pestilentia, quæ appellatur à nobis contagio. Ita in vitijs illud maximè formidabile est, quod ita contagione serpit, ut vel unicus homo universum orbem perdere possit. Hæc est enim natura scandali. Horribilis & detestanda calamitas! quoniam illud est, quod in mundum universum introducit peccatum, quod conventus omnes inquant, congressus om-



omnes damno afficit, mores profligat, destruit leges, virtutem delet, corrumpit juventutem, status omnes pervertit, civitates depravat, vastat Provincias, perturbat regna, Imperia pessundat, universitatem orbis conjicit in naufragium vitiiorum, peccatorum, criminum, scelerum. Osee 4. *Maledictum & mendacium & homicidium & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Peccatum funestum, & execrabile cum impugnet immediatè, ac extremâ rabie, reginam Virtutum, charitatem. Peccatum, nimis notum hominibus, sed nimio plus usitatum! nemo de eo cogitat, nihili curatur, non numeratur inter offensas, sed nullus de eo accusat: attamen in materiâ gravis momenti, quomodo plerumque in sæculo committitur, lethale est distinctum ab alijs omnibus, quæ sæpenumerò minora illo futura sunt. Peccatum horribile! quandoquidem cælum orbavit Angelis, è Paradiso parentes nostros expulit, humanum vastavit genus, idololatriam promovit, perdidit populos integros, salutem quasi impossibilem reddidit in communi hominum cursu, orbemque in summum exitum præcipitavit. Sed ex universis rebus nihil me ita præcellit, ac mirabilis ejus progressio prodigiosaque propagatio. Tenuis exhalatio ex arcula in Apollinis templo expirans, orbem mortuis complevit, terrâque ex universa ingens & magnæ hominum partis sepulchrum efficit. Sic unum duntaxat pravum ingenium in mundo sufficit, ad regna omnia erroribus, & vitijs, exitio vastanda. Qui non fecit unus Arius in Ecclesia? Orbis penè totus in conventu Ariminensi, Arianum se nec cogitans vidit, ut scribit S. Hieronymus. Vigilantij doctrina, ferè omnem mulierum castitatem perdidit. Vnius Manetis memoria quanquam cute exuti, tot in mundo animas pessum dedit. Quid non præstitit Lutherus unus in Germania? Quid non in Gallia Calvinus? Quot animas

Tomus II.

pervertit? Et gladius ille quem jactabat à se terris illatam, quantam fudit copiam sanguinis? Quot comisit prælia & certamina? Quot trucidavit Religiosos & Sacerdotes? Quot profanavit altaria? Quot diruit Tépla? Quot turbas huic nostro Regno intulit? Improbis detestabilisque Atheus qui vitam in flammis amisit, quot labefactavit ingenia, quot profligavit animas? Sceleratus nebulo unicus satis est ad perniciem urbi, Provinciæ, Regno creandam, Strabo lib. 15. refert de quadam arbore Indica quæ supra 12. cubitos crescit; reliquum sponte flectitur deorsum usque ad solum, & sponte suâ terræ figitur, ibique item radices mittit, novam efficiens arborem, cujus etiam rami eodem ordine reflectuntur, & radicibus emissis nova fit arbor, & ita deinceps, ita ut ex una arbore, tota Sylva possit existere. Idem in progressu scandali contingit, unde quilibet colligere potest, quantum criminum reus sit ex uno scandalo. Fax una quot thalamos cremat? una puella quot simul adolescentes perdit? unus liber, una vox, quot plerumque perivit? Ea quippe natura est scandali; ne leve crimen putes, nec teparum noxium credas.

Nota 6. Omne contagium, postulare aliquam analogiam inter corpus infectum, & inficiens, ita ut impressio non sit æqualis in omnibus, sed cum delectu & occasione. Sic quædam pestes in vascerantur animalia, aliæ quædam plantas: nonnullæ discrimen fecere in animalibus, aliæ gregem duntaxat, modo unum, modo alterum; aliæ solum hominem aggressæ. Pestes quædam pepercerunt uni sexui, aliæ ætati. Dionys. Halicar.

4. Histor. Rom. mentionem facit pestilentia, quæ solas puellas, mulieresque gravidas attigit. Joan. Bapt. Boterus lib.

Relat. de novo mundo commemorat pestem quæ Juvenibus tantum infra trigésimum ætatis annum accidit. Aliam vero medicus Gentilis

R r

tilis



tilis describit quæ invadit solum validissimos & maximè robustos. Videm<sup>9</sup> quotidie morbos cõtarios qui demerüt pueros neq; ceteros attingunt. Süt qui malü contrahãt, ob pedem tantummodo illatum in aliquam domum infectam: ubi quidam alij optantes mori, perstiterè incolumes sanique in pestiferorum congressu, eorum tangentes ulcera, & furunculos, haurientes eorum aërem, vescentes unã eum ipsis, & eodem utentes cubili; quod induxit Evagrium ut crederet, pestem Constantinopolitanam quam describit non fuisse cõtariosam. Amplius etiam istud est, quod analogia illa differentiaque reperitur etiam inter membra: Oculi soli corripuntur lippitudine; Phtisis nil nisi pulmonem exulcerat, parcitque oculis, qui non minus teneri sunt: Alopecia, pilique defluvium, caput solum deformat: Immo aliquot morbi deligunt inter humores eum ad quem analogiam habent, ac sæpè solos spiritus invadunt, aliquando vitæ sedem & cor; unde obtingunt tam inopinati obitus, & symptomata sic prodigiosa nec expectata, quorum causa nescitur.

Ita cum à pluribus capitibus timendum sit scandalum, maximè tamen si fuerit.

I. Inter amicos: quia inter illos facilis est imitatio: unde Sapiens Proverb. 22. *Noli esse amicus homini iracundo*, &c. ut diximus supra. Hinc Christus jubet ut non tantum dissolvatur ejusmodi amicitia, sed etiam ut discindantur: *Si oculus tuus*, &c. Cujus rationem ita explicat Sanctus Chrysostomus Homi. 60. in

Matth. Nam si maneant amici, nec illos lucraberis, & tu ipse simul peribis: sin verò procul illos abs te abjeceris, tu saltem salutem consequeris. Idem dico de æqualibus in occupationibus, propter actionum similitudinè,

2. Si ex Patribus in Liberos: Quia contagio maxima esse solet, ubi est analogia: Et est facillima Patrum in filijs imitatio.

3. Si ex Magistratu & ex Principe: Quia hæc imitatio videtur honesta, & facile speratur impunitas.

4. Si ab ijs qui alios à peccatis debent avertere: ut cum Sacerdotes, & alij in dignitate positi delinquant, unde in illis ex dignitate crescit scandalum, ideoque in confessione hæc circumstantia aperienda: Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est Vos autem recessistis de via. & scandalizastis plurimos in lege: Sed ut Christus monuit. *Va mundo à scandalis, necesse est enim ut veniant scandala, veruntamen va homini illi per quem scandalum venit. Sed hæc & alia in sequentem Concionem rejiciemus, in qua Scandalosos insequemur: dum interim ab eorum lue nos immunes servemus, ne per nos tanquam per infecta membra Ecclesia contagio laboret, immò ut à peccatis liberi, & immaculatos nos custodientes ab hoc seculo, ad æternam patriam, in qua nullum est scandalum, per Dei gratiam perducamur.**

Amen.



FERIA QVARTA.

DOMINICÆ TERTIÆ

IN QUADRAGESIMA.

## CONCIO SECUNDA

DE SCANDALO.

Quoniam peccent hoc genere peccati, & quæ sint illius  
species.

*Scis, quia Pharisei audito hoc verbo Scandalizati sunt.*  
Matthæi 15.

**N**ON sine peculiari Providentiâ Spiritualesque ; unde prodeunt parabolæ ac  
Dei, cum res sensibiles & corpo- similitudines. Quod mihi causam dedit ex  
rez, nos afficiant magis quàm consequentiâ Sermonis de fraternâ correcti-  
spirituales, primæ sunt imagines one, loquendi vobis de ipsius contrario, sci-  
secundarum. Inde fit, ut non licet de scandalo, ut id nominat S. Thomas,  
solum Deus res cœlestes, & quod ad legem 2. 2. qu. 43. art. 3. sub imagine contagij  
gratiæ pertinet, expresserit ad figuram cere- quod res eadem est in morbis, atque scan-  
moniarum antiquæ legis, secundum S. Pauli dalum inter peccata. Ut autem morbi om-  
verba Hebr. 8. *Exemplari & umbra deservi- nes & qualescunque non sunt contagiosi, sed*  
*unt cœlestium.* Aded ut, quemadmodum ani- ij tantum qui communicantur alteri, eò per-  
madvertit Origenes, universæ naturales crea- nicioisiores ceteris, quò malum ad plures per-  
aturæ ad vivum representent supernaturales sonas extenditur; ita peccata omnia minimè

Rr 2

scan-



scandalosa sunt, ut quæ sunt interiora abdique omnibus, sed ea duntaxat quæ alienum exitum accersunt, & damnum inferunt exemplo; in eo magis infamia, quod plures depravant. Nè verò dicta tam de contagione, quàm de Scandalo, reperamus; hoc unum tantum in memoriam revocate; Aliam esse contagionem propriè dictam; Aliam verò impropiè dictam. Illa est communicatio morbi à corpore in corpus; Impropria autem, communicatio morbi à parte ejusdem corporis in aliam partem; est enim extensio mali; ita passim prius spiritus corrumpuntur, tum humores, tum partes substantiales in peste. Ita distinguere possumus duplex genus scandali: Aliud est impropiè dictum; Aliud propriè dictum; Ordiamur ab impropiè dicto. Licet enim scandalum dètur propriè alteri, quilibet tamen nostrum potest in se ipso observare duplex scandali genus, tanquam duo peccati contagia.

I. Est membri ad membrum, potentiæ ad potentiam, facultatis ad facultatem, eò ferme modò quâ in eadem personâ propagatur pestis, occupans primò spiritus, tum humores, postea substantiam solidarum partium, ac demum cor, ipsum. Ita ille suscipit venenum oculis; hic aure, alius alio sensu secundum quod dixit Ierem. Thren. 3. *Oculus meus depraedatus est animam meam.* Et per sensus omnia in animum, & cor delabuntur: Ierem. 9. *Ascendit mors per fenestras nostras; quas fenestras Patres interpretantur nostros sensus externos; Unde Christus Matth. 18. Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum & projice abs te, &c.* Et certè cum nullum sit in corpore nostro membrum, à quo infici non possit anima, præcipuè tamen id contigit oculis, ita ut melius esset, nasci homines cæcos, quam oculos adedò illud verum est. *Oculus meus depraedatus est animam meam.* 1. enim oculi ut ait S. Gregor. lib. 31. Moral cap. 1. Fenestræ

sunt animorum: Tum quia per oculos anima exit, sunt enim sensus ait Gregor. quasi quædam viæ mentis, quibus foras venit; unde Hieron. Epistola 10. Taciti oculi, cordis fatentur arcana; & eos Nonnus Poëta appellat, præcones tacitos: Tum quia per oculos externa in animam ingrediuntur: unde Nyssenens cum attulisset dictum Ieremiæ, *ascendit mors per fenestras nostras.* Verè (inquit) sæpe oculus τοῦ ἄνω θανάτου εἰσόδος. Multis mortibus introeundi aditum præbet. Sed parùm est quod dixi per oculos patere ingressum in animam, cum ex Plinio lib. 11. Ipse animus habitet in oculis; Imò Chrysoft. oculos appellet animi membrum τῆς ψυχῆς μέλος vel cantum. Sed præcipuè per oculos ingreditur libido & infamia, utriusque videndo fœmina. Notum illud dictum vetus. Oculos esse in amore duces. Hinc dictus ἔρωσ ut ait Plato in Cratylo, quod εἰσέρει id est, influit in animos: itaque patere non possunt oculi quin statim amor ingreditur, ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error: Propterea S. Chrysoft. oculum appellat μορῆς πρῶτον. Adulteri conciliatorem; & Tertullianus incitorem libidinis. Ideòque rectè Zaleucus judicavit dum statuit, ut adulteris oculi ererentur, ipsam causam libidinis attingens. Testis David, qui ut vidit mulierem ex adverso se lavantem statim ejus formâ captus est, & adulterium perpetravit, Certè nulla unquam fax maiora excitavit incendia, quàm oculi; & nemo adulterium committit, nisi prius oculis conceperit. Ideo 2. Petri 2. Oculi dicuntur *pleni adulterii & incestibilis delicti.* Et illis datur cogitatio & concupiscentia: nam Ioannes in Epistolâ suâ vocat vitium concupiscentiam oculorum, quod origo concupiscendi sit in illis. Ac vide velocitatem contagii, & veneni, vel Christo Domino teste Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam.* Id est, qui ita viderit, ut concupiscat, *iam mœchatus eam est in corde suo*



*fu*o; quia ut ait S. Gregor. loc. cit. per Moysem, luxuria perpetrata; per authorem verò munditiæ, luxuria cogitata damnatur. Hinc vide prudentiam Iobi cap. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Ne, ut ait Gregor. prius incautè aspicere, quod postmodùm invitus amaret, &c. Ne ergo, inquit, quædam lubrica in cogitatione versemus providendum nobis est, quia intueri non licet concupisci. Vt enim mundans in cogitatione servetur, à lascivâ voluptatis tuæ deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam: Neque enim Evalignum veritum contigisset, nisi hoc prius incautè conspiceret. Scriptum quippe est: *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius & comedit.* Hæc ille: Scio quosdam esse oculos, qui dicuntur à Salvatore simplices: à Salomone rectà videntes. In Canticis, oculi columbarū: à S. Nyl. *πνευματικοί* spirituales: & ejusmodi non vident mulierē ad concupiscendum, quia ex Basilio, vel non defigunt obtutum, vel corrupti non sunt. Ac scias non mirum esse, si oculi animam ipsam inficiant, cum etiam aliquando inficiant alios intuentes; ad eò se se ex illis prodit libido: unde innoxie videri non possunt, neque ullus ab illis innoxie videtur. Nescio enim quomodo fiat, ut aliter qui pii sunt videantur; aliter qui procaces: Nam qui pii, non lædunt, cum videntur, secundum illud Psalmistæ: *Qui timente te, videbunt me, & lætabuntur:* quod exponens Sanctus Ambrosius ait, aspectum piorum, & prodesse, & corrigere: Et quàm pulchrum, ut videaris, & prosis. Exemplum affert avis illius quæ prodest Ictericis solo visu; quantò magis vir iustus: Ita Paulus Hierosolymā profect⁹ ut videret justos, & Petrus: Ita Lucian⁹ Martyr solā oculorū modestiā multos barbaros ad fidem convertit. Sed semper tutus est oculos, cohibere, uti dicebat David.

*Averte oculos meos ne videant vanitatem:* Psal. 118. Certè Græci sapientes Temperantiā vocarunt *ὀφθαλμῶν ἡνίοχον*, oculorum aurigam & moderatricem: Vnde dixi ex Iobo cap. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, &c.* Sed de illis satis.

Quid dicam quod unica pars hominem totum contaminet, nempe cor: In nostro Evangelio: *De corde enim exeunt cogitationes mala, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia; hæc sunt quæ coinquinant hominem.* & ulchrè id exprimitur apud Iobum cap. 15. *Docuit iniquitas tua os tuum, & imitavit linguam blasphemantium, quasi diceret Ex abundantia cordis os loquitur:* est enim os & lingua cordis Discipulus; & imitavit linguam blasphemantium: ut enim qui blasphemant cæteris sunt malo exemplo, & alios docent blasphemare, ita cor docuit linguam: unde ab unâ parte in reliqua membra serpit vitii contagio, quod Christus exprimit, illâ voce, *hæc sunt, quæ coinquinant* hæc enim vox pertinet ad infectionem, infectio autem sonat contagionem, & mali communionem.

II. Genus contagii seu scandali improprie dicti fit in dies per inveteratam consuetudinem quæ continuatione corroboratur: Ita ut qui malus fieri incipit videatur sibi legem indicere continuandi hunc eundem statum; die unâ inquinando alteram, vitam que totam inficiendo, uti dixit veterum unus diem sequentem prioris esse discipulum: unde fit ut ætates sequentes sint ferè semper peiores, & deteriores, ut in statuâ Nabuchodonosoris, erat caput aureū, pectus argenteum, femora aurea, pedum una pars ferrea, altera fictilis. In eum sensum interpretatur S. Basilius illud Psalmi primi. *Et in Cathedrâ pestilentia non sedet:* nam per Cathedram, diuturnam in peccatis moram, & consuetudinem intelligitur, quæ, inquit animabus solet habitum ingigne-



te vix unquam desitutum, & æger timè mobilem; animi enim morbus, ubi inveteravit jam, mali item exercitatio simul atq; occalluit diturnitate vix ullam, admittit medelam, aut certè immedicabilis fit prorsus, cum in his, ut in plerisque aliis, consuetudo, mutetur & abeat in naturam. Huic rei innititur quod dicitur Proverb. 22. *Proverbium est, adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Hinc colligere possumus qualem demum multorum vitam expectare debeamus, & quales viros Reipublicæ nostra ætas promittat.

Sed omisso hoc genere Scandali, ut minus proprii, usurpemus Scandali vocabulum in proprio significato; Illudque consideremus cum respectu ad cæteros, sicut litem quæ ab homine uno ad alium transit. Quemadmodum autem agnovimus superiori Concione triplex contagii genus, Dico pariter, tria esse genera Scandali, à Davide indicata initio Psalmorum. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in viâ peccatorum non stetit, & in Cathedra pestilentia non sedit.* Sumam illa non eodem ordine, at prout se se invicem enormitate superant.

1. Genus Scandali propriè sumptum, est omnis actio adhibita ad hunc finem ut aliquis inducatur in peccatum, cum intuitu boni alicujus proprii in alterius lapsu. Peccatum sanè diabolicum, lethale ex genere suo, & unum è gravissimis, ob incredibilem ipsius malitiam Quoniam malum per se amare videtur dum malum alterius spiritale, suum bonum putat; licet malè: Nec enim spiritale ejus bonum est, nec temporale, igitur malum est tantummodò, unde sequitur summam continere malitiam. Porro ex triplici fonte ferè oritur. Aut ex Invidiâ: Ita pessimi quidam homines, cum boni esse non possint, nolunt alios rectè vivere; instar Diaboli, qui ut, advertit S. Chrylost. homines aggreditur non

ut vincat, & vincendo aliquid lucretur, sed ut simul deiciat, & in eandem trahat ruinam; Aut ex Odio proximi, cui male esse volunt; Aut ex Odio Dei: cui cum non possint nocere, nocent eius bonis; Ad hanc classè reduco

1. Eos omnes qui magistri sunt impietatis, nimirum Hæresiarchas, errorum, & falsorum Dogmatum authores, Atheos, Impios, pravos consiliarios, homines projectos ad omnem audaciam, improbos impudentes, qui jactant quædam dogmata diabolica, & effata temeraria, ita ut simpliciorum mentes evertant, de quibus David, *aut in Cathedra pestilentia non sedit.* Talis fuit impius Balaam, qui licet à Deo per revelationem cognovisset veritatem, tamen perstitit in odio populi Israelitici, atque impium consilium dedit Regi Balac Num. 24. & 25. ut populum Israhæl induceret ad Idololatriam & fornicationem, qui deinde rabie accensus, arma sumpsit adversus populum, sed gladio interemptus miserè periiit: Eiusmodi hodie sunt,

1. Qui impia de Deo pronuntiant; contra ejus bonitatem, & alia attributa; secundum illud Iobi cap. 15. *docuit iniquitas tuam tuum, & imitavit linguas blasphemantium;*

2. Qui de alterâ vitâ detrahunt, & de animorum immortalitate, multa in dubium revocantes; immò vitam præsentem anteponentes futuræ, si modò bona præsentia nos nunquam desererent.

3. Eiusmodi male Doctores qui aggrediuntur quæ pertinent ad fidem, ita ut aut de Deo, aut de Christo, aut de fidei articulis, male sentiant, vel male loquantur: Quæ de re quibusdam verbis sensum meum exprimere debeam sane nescio, Auditores. Præterita tempora parentumq; nostrorū ætates, numeraverunt quovis seculo duos tresve Hæresiarchas, quos flammâ ferroque persecuti sunt: Superiorum tempora calamitas poterat inhiberi duorum



sum autrium nihili hominum nece, quos mille crimina ad ignem flammaeque adjudicarunt. Hodie verò nullum est quamvis exile ingenium, quin vexillum suum efferat, habetque fautores: Quilibet magistrum agit; Et gravissima quæque fidei nostræ mysteria in disceptatione dubitationemque ab licentioris vitæ hominibus, ad omnem audaciam projectis vocantur.

4. Alii qui sunt magistri contra bonos mores, contra quos multa jactant, & omnia honestatis principia, vel in universum, vel in particulari evertunt; In universum quidem, ut eum eorum plures naturam jactant, & se eam sequi dicunt, quod Sapientes atque tantoperè prædicant, cum dixerunt, nos debere sequi Deum & Naturam: Sed 1. An nesciunt supra naturam esse Gratiã, nos autem ad gratiam esse evertos: 2. Cum id dicunt, qualem naturam intelligunt, an integram, an corruptam: At natura nostra corrupta est, neque sit integra, nisi per virtutem. An ignorant illud CHRISTI Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus: Et qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus* Et illud Apostoli ad Galat. 5. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis: Ibid. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis: caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis.* 3. Quam naturam? an hominis? an belluæ? Natura autem hominis ratio est, non autem sensus: cujuslibet enim rei natura, est species, non genus: Vide in animalibus, in quibus unaquæque speciem sequitur non genus: species autem hominis est ratio, genus autem sensus; unde sequitur hominem si naturam sequitur eum debere sequi rationem, non autem sensum.

Item cum alij jactare solent salutem suam hilariter consulendum esse, licet Christus dixerit Lucæ 6. *Va vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram: Va vobis qui saturati estis, quia esurietis: Va vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis:* licet hæc vox sit Sapientis Ecclesiastis 2. *Risum reputavi errorem, & gaudium dixi, qui frustra deciperis:* licet denique nulla sit utriusque Testamenti pagina, quæ non dicat, Regnum cælorum vim pati, & violentos illud rapere. semper esse præliandum, oportere sibi renuntiare, perdendam esse animam, tollendam crucem, &c.

Item cum dicunt audacter licere omnia facere quæ licent: quanquam clamat Apostolus, *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia edificant:* Et Clemens Alexandr. *Qui facit quidquid licet, sæpe facit quod non licet:* & passim dicunt Patres necessariam esse virtutis exercitationem, quæ in eo consistit ut in iis quæ licent, & quæ possumus jure facere, assuescamus nos cohibere & refecare, ut id in illicitis facile possimus præstare.

Adverte autem hæc principia universalissima esse adversus virtutem Scandalum, quia non unam actionem, sed totam vitam aggrediuntur, unde universalissime nocent.

In particulari autem qualia in medium producant principia, vel ex uno intelligi potest. Quia enim peccatorum communissimum est peccatum luxuriæ; Vide quid sceleratissime jactent, ut omnia pudoris repagula evertant, & ejus omnem sensum auferant.

1. Ejus peccati malitiam diminuunt quantum possunt. Sed 1. si minuunt, tollere non possunt, nec efficere, ut non sit peccatum mortale: Vide itaque an ea malitia sit exigua, ubi est peccatum mortale: 2. Quam agunt præposterè: Cum enim tam multa nos trahunt ad peccatum illud, & tam multa



sint incitamenta; Deus tamen & natura, multis id obstaculis impedivit; humanis & divinis legibus; pudore & verecundiâ; morbis plurimis; sanitatis amissione: Sed ad audaciam omnem projecti homines, ea omnia repagula disijcere conantur: 3. in eo quod asserunt maximè falluntur: Quia ex multis capitibus maximum est peccatorum: Tùm quia ex Apostolo 1. Cor. 6. *Omne peccatum quodcumq; fecerit homo extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*: Tùm quia ferè semper duos inquinat: Tùm ob peccati tyrannidem, & violentiam, ac difficultatem ab eo sese eximendi: Tùm ob ejus effectus consequentes; nam animum pessundat, famam discindit, bonas artes evertit: Tùm quia peccatorum est ignominiosissimum & maximè bestiale, plenum indecentiæ, pudoris, & verecundiæ: Testes sunt tenebræ quas consecratis: testis ille conscientiæ remorsus: testis illa confitendi difficultas, ita ut vix ullus suas turpitudines accuset in integrum, uti oportet: Deniq; ob multiplices species, & quia vix in eo delinquitur nisi mortaliter, & quia innumera peccata committuntur, unde Petrus vocavit, *Oculos plenos adulterij, & incessabilis delicti*.

Mitto dicere aliquos docere fornicationem non esse peccatum mortale, quod dogma hæreticum est, & contra fidem, & si ab aliquo principio, quis non videat, sequi omnium morum perturbationem? Istud est quod ait Salvator Luc. 17. *Impossibile est ut non veniant scandala*. Nam secundùm tam præclara effata, tolerata in honoratis congressibus, recepta cum favore, ac plausu, dissimulata à Magistratibus; Ecqua castitas sperari potest in urbibus, quæ in domibus securitas, quæ in puellis pudicitia, quæ fidelitas in conjugis, cum adhiberi innocentia post ejusmodi opinionem non possit? *Va autem homini illi per quem scandalum venit*. Quibus verbis ait S. Chrysostomus magnum ostendit futurum illis supplicium.

2. Dicunt Deum nihil faciliùs condonare quàm hoc peccatum, cum tamen in Scripturis nulla ferè habeantur frequèntiora exempla acerbæ vindictæ, quàm luxuriæ. Testis est prima illa Diluvii inundatio: Testis Sodoma, & Gomorrha, Testes filii Judæ quos Dominus percussit ob peccatum ejusmodi: Testis David cujus unicum adulterium post tantam penitentiam Deus ita ultus est: Testes Scripturæ, quarum minæ adversum adulteros sunt formidabiles: Jobi 24. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, & usq; ad inferos peccatû illius. Obliviscatur ejus misericordia: dul. edo illius vermes: Non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum, &c.*

3. Vocant peccatum infirmitatis, & peccatum necessarium, quod uti sunt hominum mores, vix possit evitari: Infirmitatis appellant, licet tam multa habeant adjumenta, ut vincant. Quippe quot exempla? Quàm enim multi perpetuam servant castitatem, & continentiam, & virginitatem? Cur ergo tu non poteris conjugalem? Dicam tibi, quod ipsa continentia olim dixit Augustino de suâ dubitanti: Tu non poteris, quod isti & istæ? Sed nimirum tibi omnia permittis, aspectus, tactus, discursus: Tute te modis omnibus incendis, ac postea quereris quod ardeas: Rectè vocas peccatum infirmitatis, tu verè fracti animi, quem una scæmina vincat, unus aspectus, una cogitatio: An non pudet, quem acies non terrent, non mors, non gladii, non pericula te postea ab una scæmina vinci? Verè infirmitatis peccatum est: Nam si fortis esses, an sustineres tot imperia, tot fastidia, tot repulsa? An non te pudet quotidie mori ad unius amicæ vocè, & imperium? An nõ te pudet hominem Principem ac Nobilem, puellæ perpetuò assidere, assentiri, colere ut Deam, placere, obedire, mandata accipere: & uti sunt hodierni mores, vulnus appellas inevitabile: Ita quidem à te, qui sponte amas perire: Quàm enim facile declinare



declinare posses, si oculos averteres, & mentem? si cogitatione meliore cogitationem foedam expelleres? Sed interim adverte quàm grave sit scandalum ex tali doctrinâ: eò enim pertinet, ut per eam non solum illius peccati malitia minuatur, sed & ad illud admittendum apertè habent laxentur. Vide autem quantum Deus puniat ejusmodi scandalum in exemplo Madianitarum, qui populum Israël ad fornicationem oblatis puellis induxerunt, ex consilio sceleratissimi & improbissimi Ballaam. Nam uti scribitur Exodi 31. Noluit Moysen mori, nisi prius eam injuriam ultus fuisset: *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens. Ulciscere prius filios Israël de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum:* Adverte Deum, qui jubet perpetuò, ut inimicis ignoscatur, & quæcunque injuriæ condonentur; hîc tamen jubere Moyse ut talem scandali injuriam ulciscatur: Vide autem quòd hæc ultio processerit: Nam quia populus infantibus pepercisset, jussit Moyses omnes interfici: *Iratusque Moyses Principibus exercitus, Tribunis, & Centurionibus qui venerint è bello, præcepit eis dicens: Cunctos interficite, quidquid est generis masculini, etiam in parvulis:* Vide quod non jussit fœminas interfici, sed viros, quia illi fuerant authores scandali. Etenim ut benè advertit Origenes plus ille peccat, qui ad peccatum impulit, quàm qui peccavit.

1. Ad illos errorum Magistros refero illos omnes qui novos errores seminant aut in Concionibus, aut in scriptis, aut in sermonibus privatis, aut qui quædam docent quæ sciunt esse falsa, & contra veritatem, eo solo nomine, ut aliis noceant, aut quia invident, aut quia illos oderunt: hoc ipso tantùm quædam sentientes quoniam alijs contrarium, aut censent aut docent, sed vel autoritate vel ficto zelo alijs imponunt.

2. Ad hoc genus scandali pertinent qui gaudent de aliorum casu: Ezechiel

*Dices filius Ammon, pro eo quod dixisti: Euge, euge, super sanctuarium meum, quia pollutum est; &c. Idcirco ego eradam te filijs Orientalibus in hereditatem, & collocabunt causas suas in te, &c. pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gavisa es, ex toto affectu super terram Israël.* In quod S. Hieron. Hoc super unumquemque Sanctorum intelligi potest, ad quorum ruinam gaudent sæculi homines, & adversariæ potestates, si multi temporis perdidierint pudicitiam; tum mali consolationem suorum scelerum putant, si plures habeant consortes criminum, atque supplicij: Et hoc nemo faciat nisi fuerit filius Ammon, hoc est ex eius nominis significatione filius populi qui in declinatione generatus est. Hæc ille.

3. Denique ad hoc genus refero eos omnes, qui impediunt, ne qui ex S. Spiritus inspiratione conceperunt opus, illud perficiant, quod multis in cõsuetudine. Quæ enim multi retrahuntur à proposito, qui religionem meditantur, qui modestiã, qui morum mutationem. Quid (inquiunt) agis, nunquid non & in sæculo salvari potes; & multa ejusmodi: De illis accipe legem, quæ scribitur Exod. 21. ubi ex lectione LXX. Interpretum dicitur: *Si rixentur duo viri & percusserint mulierem in utero habentem & exierit infans non formatus, multa multabitur prout indixerit vir mulieris: si autem formatus fuerit, dabit animam pro animâ:* Origenes id expendens homil. 10. Mulier pragnans dicitur anima quæ Dei verbum concepit: si hæc mulier verbum fidei quod tenuiter conceperat, abjiciat, & perdat; qui scandalizaverit, damnû patietur: hoc est multis gratiis, & magnâ ex parte suâ mercede privabitur, quam ex alijs operibus erat meritus: quòd si formatus fuerit infans, id est si verbum Dei claritus, seu firmiter, nec tenuiter concepit; & scandalum

passa fuerit, retro abiens post Satanam; autor scandali animam pro animâ dabit: scilicet in



die iudicii apud eum Iudicem, qui potest animam, & corpus perdere in gehennam: aut senlus est obligari illum, etiam ad mortem usq; contendere, ut quam perdidit, ac scandalizavit in bono restituat: Tum addit Origenes, Plus eum peccare qui aliquem impulit ad peccatum, quam eum qui peccatum admisit.

II. Scandali species, est quã aliquid fit, quod inducit quempiam ad peccandum, quamvis directè, primãque intentione mentis, non habeatur voluntas alieni peccati, sed tantum actionis ipsius cui peccatum reperitur conjunctum: Sicut quando Nobilis vindictam jurgii quærens rogat amicorum aliquem ut secundus sibi assistat. Ita Josephus ab herã suã sollicitatus fuit, castãque Susanna ab impudicis senibus. Ubi animadvertendum est, præter crimen quod procuratur, esse in super separatim scandali peccatum, de quo est obligatio nominatim distinctèque ab aliis confitendi illud est, de quo loquitur David hisce verbis, *Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum*. Nam in ejusmodi congressionibus horribile illud peccatum committitur, perditio exitiumque aliorum, quod efficit ut ad vivendum ex Dei lege, optanda sint antra, sylvæ, & solitudines abditissimæ: Nulla virtus est quæ sufficiat quantumcunque sit; nulla est constantia quæ probit; nulla superest hominibus securitas; adhibentur nunc omnes animæ passionibus; formido iniicitur à potentiioribus; volendum est quod volunt; neque ulla vis est quæ non succumbat; spes parit oblivionem Dei, exilemque de ipsius promissis existimationem; odium, amor, invidia, ultio, pudor, aliæque affectiones cordis ad malum impellunt: nulla est amplius, uti videtur, facultas vivendi probè in sæculo, Deiq; ut oportet colendi, adeò impugnatur virtus, & attentatur innocentia.

Vis exempla dabo utriusq; virtutis, robustæ, & imbecillæ: Illius, erit Sãson, cui impor-

tuna in dies fiebat Dalila, de quo sic loquitur Scriptura Jud. 16. *Cumq; molesta esset ei, & per multos dies jugiter adhereret spatium ad quietem non distribuens, defecit anima ejus, & ad mortem usq; lassata est: Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam: ferrum nunquam ascendit super caput meum: Alterius, fuit Roboam, quem juvenum consilium pervertit. Atq; inde profectum est quod male consuetudines adeò prohibite sine præsertim juvenibus, quoniam sæpe pudet non esse impudentem & pauci dicere audent, Nolo: ac vix est aliquis qui virtutem solus amplecti possit, præsertim cum est minus honorata. Ac de hoc genere scandali Christus loquitur Matth. 18. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expetit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*: Ubi advertit pusillorum fieri mentionem quia nocumentum ex scandalo, contingit ex ignoracione, & imbecillitate: unde ut advertit Origenes in loc. cit. dicitur, *si quis scandalizaverit unum de pusillis istis*: Pusillus ergo est, inquit, & minimus qui scandalizari potest; spiritualis autem dijudicat omnia, probat, & quod bonum est continet, & ab omni specie malã se abstinethæc ille. Neque enim scandalum perfectis nocet juxta illud Pl. 128. *Pax multa diligentibus legem tuam, & nõ est illis scandalum*: Nihilominus tamẽ quid faciat tener adolefcentis inter quotidiana scandala? Exemplum Josephi extendi potest inter quotidianas hæc suæ procacis infidias: Atque ex hoc exemplo transiri in scandalum quod ancillis quotidie obijciunt salaces Domini, aut etiam importuni homines alieno thoro, præsertim si eum aliàs contaminarunt.*

Ceterum illud scandalum magis est insigne in illis qui potentiã pollent: Tale fuit peccatum Ieroboam, qui cum timeret ne si populus suus iret in Ierusalem sacrificandi causã, ad domum Davidicam reverteretur, totum Israëlẽ ad Idololatriam compulset, quam



quam ob rem adeò detestabilis factus est : ut 1. ei dicatur à DEO, *operatus es mala super omnes qui fuerunt ante te* : 2. privatus fuit regno, & ejus domus cum gravi dedecore penitus extincta est : 3. ejus causâ afflictus fuit populus : 3. Reg. cap. 14. *Et tradet Dominus Israël propter peccata Ieroboam qui peccavit, & peccare fecit Israël.* 4. à DEO interfectus est, & probabile est casum peste : Ita enim de eo scribitur 2. Paral. cap. 13. *Quem percussit Dominus, & mortuus est, morte scilicet violentâ, immisso ad hoc Angelo, vel Dæmone* : Exemplari autem pœnâ affectus est, quia fuit exemplum ad impietatem : Quin etiam ex Ahia Prophetâ oportuit eum feris, & volucris objectum, sepulturâ earuisse : 5. ejus memoria adeò fuit execrabilis, ut eum Scriptura quasi nequissimum, maximèq; detestabilem, & quasi petram scandali, ducens ipsos, & amplius annos execretur, factâ semper peccati ipsius mentione, *qui peccavit, & peccare fecit Israel* : Quasi jam tùm in eum diceret quod postea Christus : *Va mundo à scandalis, necesse est enim ut veniant scandala* : Veruntamen va homini illi, per quem scandalum venit : Hinc trahi debet in nos comminatio. Si enim Deus Regem à se electum, reiectâ maximâ ex parte domo Davidis, ita castigavit; quantò magis id, faciet in reliquis mortalibus, & deterioribus, & abjectioribus.

III. Scandali species æstimata parvi aut nihili ab maximâ hominum parte, sed quæ magni est momenti, iis etiam qui volunt perfectè Deo servire, est omnis actio quæ fit sine ullo proposito ac studio vel alieni spiritualis vitii, vel ullius operis tui cum peccato conjuncti; sed cum notitia tamen dubiòve probabili ac rationabili proximum inde offendendi Dei occasionem esse capturum. Peccatum speciale; peculiare ac distinctum à quovis alio, cum obligatione illius seorsum confi-

tendi. Ratio est, quia etsi actio illa nihil aliunde vitiositatis haberet, sufficienter esset vituperabilis, si alteri esset occasio offensionis in Deum; atque de illa propriè scandali specie locutus est Dei Filius. Matth. 18. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, &c.* De ea quoque David cum dixit Beatum qui *in via peccatorum non stetit*: ubi significatur nobis pravum exemplum peccatorum, qui suat in conspectu omnium, & in publica via. Hoc peccatum est in quod incidunt peccatores, ac impudentes qui ne hominum cognitionem verentur: *frons meretricis facta est tibi, noluit erubescere*: Jerem. 3. Ratio est, quia magna vis est exempli ad bonum atq; ad malum. Euseb. Emyss. Nimis penetrabile telum est imitatio deteriorum. Inde proficiscitur magna pravatum societatum prohibitio à Sapiente facta. Sed ea perniciosa augetur si fit inter ea, personarum genera, quæ perstrinximus in superioris sermonis clausula, & iterum inculco: scilicet 1. si inter amicos, quia inter illos facilis est imitatio: 2. Si ex Patribus in liberos, Nam ut diximus, in vitis facilis est Patrum imitatio; & ut ait S. Ambros. Multi fuerunt milites quia Patres eorum militaverunt; eodemque modo imitatio in aliis contingit, 3. Si ex Magistratu, vel Principe: 4. Si ab iis qui alios avertere debent, ut cum Sacerdotes, & alii in dignitate positi delinquant; Nam ut notavimus, in illis ex dignitate crescit peccati scandalum: Et vide quò damnò. Exodi 21. *Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, aut asinus in eam, reddet Dominus cisternæ pretium jumentorum.* Audi S. Cyrillum in Collectedaneis c. 8. Quid per bovè intelligitur, nisi animal mundum; quid per asinum, nisi imundum, seu quod in peccatis est; quodcumq; ex illis ceciderit in fossam, qui foderit, reus est mortis; unde dicitur. *Quod autem mortuum fuerit, ejus erit.*



Cæterum de peccatis omnibus tria sunt quæ inhærescunt facilius: Primum est, vitæ licentia & impietas: Secundum est detractio alienæ famæ, idcirco dicitur ferre usuram: Tertium est lubricitas ob infirmitatem naturæ nostræ. Inde evenit, ut quæ vestibus, membrorū habitu, illecebram suppeditant, graviter peccent. Atque in eo est ejusmodi obligatio, ut res licitæ ac aliunde permissæ, evadant prohibita si scandalum important. Ita si quæ mulier ornatu offenderet oculos virorum, illum ad aliquod tempus deponere obligaretur, modò maritus non esset invitus. Immodò ex doctrinâ S. Thomæ, & bona temporalia aliquando eâ ob rem remittenda sunt. Exemplum habemus in Apostolo Paulo 1. Cor. 8. *Si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne forte fratrem meum scandalizem.* Vnde non licet quædam agere ex se non mala, si alios scandalizant, neque enim sufficit unicuique bona sua conscientia: Ita quippe ibidem loquitur S. Paulus. *Videte autem ne forte hæc licentia offendiculum fiat infirmis, &c. Et peribis infirmus in tuâ conscientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis: Quapropter si esca, &c.* Sed hæc vox communis est; Hoc mihi placet, hoc mihi commodum est, neque prohibitum, quomodò id alii accipiant, aut probent, non admodum curo; ego utor jure meo: *Verum*

audi eundem Apostolum 1. Cor. 10. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia edificant:* Nemo quod suū est, quærat, sed quod alterius. Et verò illud eò usque obligat ut aliquando omittenda etiam sint bona, modò non præcepta, si aliis scandalo sunt: Quare interdum rationes dandæ sunt ignaris, immò interdum omittenda sunt bona ad tempus: ut si Parentes blasphemant, differendus est ingressus in Religionem: Et uxor quædam ad pietatem pertinentia omittere debet ad tempus, si maritus dejeret: audi Paulum Rom. 15. *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad edificationem. Etenim Christus non sibi placuit.*

Ac ne ejusmodi culpæ leves videantur, revoca in memoriam quæ superiori concione protulimus de funestis nonnullorum exemplis; Et si das scandalum quâquâ viâ, convertere, ne pœnis similibus impliceris: Si non das cave ne accipias, cum ille qui se flecti sinit ad malum non minoris culpæ coram Deo sepe se reum faciat, quàm qui ipsum impulit. Vterque abstine à peccato, &c. ut tandem vivas Christianè, vel innocens, vel verè pœnitens, & ita sine offensa in diem Christi & repletus fructu Justitiæ, possis sanctè mori, securè coram Iudice stare, & vitam beatam in æternum assequi. Amen.